


37



4
DISPUTATIO
DE
MORBIS CON-
TAGIOSIS
ET
CONTAGIO:

*Publici exercitij gratia in alma Argentora-
tensium Universitate proposita*

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE AC PRO-
FESSORE, COMITE PALATINO
CÆSAREO, ET REIPUBL.
ARCHIATRO:

Respondente

GEORGIO HILMARO CRATZMANN,
LUNÆBURGICO.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. L.



V I R O
ILLUSTRI, GENEROSO, MAXI-
MEQUE STRENO,
DOMINO
GEORGIO HILMARO
à W E N S E,
Hæreditario in Hollenstett & Dorpmarck / &c.
Satrapæ in Bodendieck magnifico, Propatri,
Patrono ac Mecœnati suo summa
observantia colendo,

Medicam hanc disputationem

In grati animi signum, & ulterio-
ris favoris ac gratiæ in-
citamentum

submisit

dicat & offert

G. H. Cratzmann.



THESIS I.

Nter communes & accidentales morborum differentias, quae à subjecto, causa, magnitudine, eventu, aetate, sexu, anni tempore, duratione, more, ordine, motu, origine, modo existendi, & invadendi &c. desumuntur, haud postremum obtinere locum illa videtur, qua alij contagiosi, alij non contagiosi dicuntur.

II. Contagiosi verò appellantur illi, qui per contactum sunt, h. e. qui seminium aliquod, sive inquinamentum in aliud corpus immittunt, & per id affectum specie sibi similem in illo excitant.

III. Non contagiosi vocantur, qui morbum sibi specie similem in alio corpore procreare nequeunt.

IV. Habent autem contagiosi affectus rursus suas differentias. Etenim ratione hōis, sive moris, alij maligni sunt, alij malignitatis expertes.

V. Maligni sunt iterum duplices: alij pestilentes: ijque aut leviores, aut graviores: & vel insoliti, sive novi, vel crebrò visi atque observati. Alij venenati: qui vel à veneno intus in corpore genito, vel ab externo, quod ab aëre, aqua, barathris, sive specubus subterraneis, plantis, animalibus, aut fossilibus & mineralibus corporibus prodijt, orti,

VI. Malignitatis expertes, vel universales sunt, qui totum corpus occupant: vel particulares, certam corporis partem obsidentes. Quae tamen differentiae etiam malignis affectibus competunt. Nam & illi vel universales sunt, vel particulares: quemadmodum ex ijs, quae infra dicentur, patebit.

VII. Ratione grassationis, apprehensionis, sive invasionis, alij sunt κοινοί, communes: alij σποραδικοί, dispersi.

VIII. Κοινοί rursus vel ἐπιδημιοί populariter grassantes, qui uno eodemque tempore, uno aliquo in loco, v. g. civitate, aut regione tota, plures homines eandem ob causam, quae omnibus communis, aggrediuntur, ob id πανδημιοί ἢ πάγκοινοί dicti: vel ἐνδημιοί, patrij, sive vernaculi, & regionales, qui uni alicui loco, certam quandam ob causam, quae itidem pluribus communis est, sunt infesti.

IX. Σποραδικοί privati sunt, & specie discrepant: proveniuntque aut à propria cujusque dispositione, aut à prava vivendi ratione.

X. Contagiosi, qui maligni & pestilentes, sunt pestilentialis febris, unà cum suis characteribus, carbunculis scil. & bubonibus, & febres malignae, quae à nota malignitatis, qua sunt insignitae, petechiales, pulicares, lenticulares, purpureae & maculatae nuncupantur: eò quòd maculis sint conspicuae, quae morsibus pulicum, & coloris figuraeque ratione lenticulis similes sunt. Quanquam & alijs tinctae coloribus visantur: quo nomine etiam violaceae, lividae, virides, flavae & nigrae nominantur: quas ultimas Petrus Forestus l. 6. de febr. observat. 35. & 36. à Belgis Peperforti vocari scribit: quòd grana piperis nigri referant.

XI. Huc referrì potest ἰδρωλικὸς ἢ πυρετός, febris sudorifica, quae sudor Anglicus dicta: quaeque Anno CHRISTI 1529. autumnò maxime, in Anglia grassata est: & inde non solum in totam Germaniam, sed etiam multas alias regiones irrepit: hominesque, qui sudassent, dereliquit: qui verò sudare non potuissent, aut sudoris eruptionem vel crebra surrectione, vel lecti mutatione frequenti, vel corporis denudatione assidua, vel ex uno nonclavi transitione in aliud, vel modis alijs inhibuissent, jugulavit.

XII. Ejusdem tribus est quoque illa παραπληγία lethalis, quam Hippocr. l. 1. epid. in Thaso accidisse memorat.

XIII. Sunt & flagrantes ardores, & gravedines anhelosa, de quib. Fernelius l. 2. de abd. rer. caus. c. 10, & lib. 1. παθο-
λογ. c. 7.

XIV. Ad contagiosorum & in vulgus grassantium morborum classem referuntur etiam quedam lienterie & dysenteria, praesertim quae pestem & variolas populariter invadentes sequuntur: itemque & nonnulli catarrhi.

XV. Contagiosi praeterea sunt affectus quidam σποραδικοί: ut Lepros Arabum, Elephantiasis nominata, Lues venerea, Scorbutus, Scabies, Tinea, quae vulgo der Erbfrindt dicitur, Rabies canina, Phthisis, quedam Lippitudo, seu Ophthalmia, Mentagra illa, de qua Plinius l. 26. cap. 1. Ex quibus nonnulli maligni sunt & venenati: ut Lues venerea, Lepros, Tinea, Rabies canina, quae ortum traxit à cane rabido, Ulcera cancrosa, & alia, quae vomήδη, Φαγέδαιμνα, chironia, telephia & dysepulota nuncupantur. Quidam vero malignitate carent, ut Scabies, Phthisis, Ophthalmia &c.

XVI. Observandum verò hic est, quamvis epidemij morbi plerique contagiosi sint, tamen non omnes tales esse, neque solos. Nam & σποραδικοί quidam contagiosi esse consueverunt: quemadmodum ex modo dictis liquet.

XVII. Caterum, quò contagiosorum morborum natura & causa innotescat, operae pretium est, ut de Contagio verba faciamus. Quod tamen thema adeò obscurum, totque difficultatum involucris implicitum est, ut veteres nihil ferè ex professo de illo in medium protulerint. Perpauci autem neoterici id attigerint: & qui attigerunt, plurimum inter se in multis discrepant.

XVIII. Praemittemus autem ὀνομασολογίαν: post πρᾶγμασολογίαν subjungemus.

Unde contagiosi morbi denominati? unde
contagium dictum? & quæ illius
sunt significata?

XIX. Contagiosi morbi nomen suum acceperunt à contactu, qui σύναψις ἢ συνάφεια à Grecis dicitur. In contagiosorum enim morborum productione actio semper & passio est necessaria, quae sine contactu fieri nunquam potest.

XX. Contagium autem à verbo contingo descendit, quod hac in doctrina contrectare sonat: Graci ἀπτεταῖ & καθάπτεταῖ dicunt. Vocatur à Cicerone & Plinio etiam contagio: & à Lucretio aliquoties Contages, genere faeminino, ab antiquo contagio, quod est tango: ut videre licet lib. 3. 4. & 6. quamvis & contagij vox apud eundem legatur: velut ex libr. 3. & 6. liquet.

XXI. Est verò vox ista, Contagium, πολύσημ. Nam primùm mutuum duorum corporum contactum sonat. Suis enim terminis, sive extremitatibus se tangunt, quae contigua sunt. Quo nomine unum non sunt, quemadmodum continua. Haec enim unum quid sunt, quia unus eorum terminus est: sic docente Aristotele l. 5. phys. c. 3.

XXII. Contactus iste physicus est. Ideoque crebra illius à Natura speculatoribus fit mentio. Est & contactus mathematicus, quo linea lineam, superficies superficiem, & corpus mathematicum aliud simile corpus tangere dicitur. Quin & tertius habetur contactus, qui tamen improprie est, & metaphoricus, ac virtutis & operationis vocatur: velut ex cap. 6. lib. 1. Aristotelis de generat. & inter. colligitur.

XXIII. Secunda contagij significatio est, cum pro illo affectu usurpatur, à quo alius, specie similis, originem traxit.

XXIV. Tertia, quando pro eo affectu, qui à priore ortus, accipitur. Uterque enim contagium & contagiosus morbus appellatur, quia uterque agritudinem sibi similem producit.

XXV. Quarta, cum neque pro priore, neque pro posteriore, h. e. neque pro generante, neque pro generato affectu, sed pro medio illo, quod Hippocrates & Galenus μίασμα, inquinamentum, νοσερήν jonicè, & νοσεράν, communi dialecto, ἀπόκρισις, morbidam excretionem, & ἀπόρροιαν νοσώδη, morbosum defluviū appellat.

appellant, sumitur. Nominatur aliàs, & metaphoricè quidem, σπέρμα, semen, seminium & seminarium: quod tamen propriè locum sonat, ex quo planta in aliam terram transferuntur, Græcis Πυλωήγιον: per μάλαφορὰν autem etiam pro fonte & origine alicujus rei à Cicerone usurpatur.

XXVI. Apud Gallos vocabulum contagionis in specie accipitur pro peste: forsitan quia inter morbos pestis est contagiosissima. Ideoque καὶ ἐξοχήν hoc nomen acquisivit: sicut eadem etiam apud Italos καὶ ἐξοχήν Morbo vocari solet, quia morborum omnium maximus & saevissimus est. Unde & in specie eandem ob causam à quibusdam, & cum primis à Nizolio, Lues appellari consuevit: tamen si & ista vox sit generalis, ac quamvis gravio- rem agritudinem denotet, quæ in urbe, aut in agro aliquo homi- nes, pecora, arbores, aut segetes corripit, eine Plagsucht/ oder eis ne Seuche / die vber Menschen Viehe / vnd Erdengewächs gehet: dicta Festo à luendo: alijs δὲ λύειν, quòd omnia dissolvat. Hinc idem Festus, lues est diluens usque ad nihil. Hinc Scali- ger, luem dicimus morbum, cujus vi corpora soluuntur.

XXVII. Hæ contagij significationes diligenter observan- da sunt, quoniam ab authoribus sæpè inter se confunduntur. Germani nostri vocem hanc interpretantur eine Erb- oder erbs- liche Krankheit/ eine Erb- oder erbliche Sucht/ oder eine ans- fallende Seuche / so einer von dem andern per contactum gleichsam ererbet.

XXVIII. Quæ interpretatio convenit cum secunda & tertia contagij significatione. Morbi tamen ipsi, sive inficien- tes alios, sive geniti à morbis inficientibus, rectius contagiosi morbi, quàm contagia vocantur. Ipsum vero seminium, quo interveniente morbi contagiosi in alio subjecto efficiuntur, discrimi- nis gratia contagium appellatur. Nam & veteres contagia pro seminis acceperunt. Hinc Lucretius, morbi contagia pene- trant in alios. Hinc Silius, fædi morbi contagia manant in omnes populos. Hinc Horatius, lucro, Lucanus sceleribus conta-
gia tri-

gia tribuit: & Virgilius dira contagia per incautum vulgus
serpere scribit. Propterea Ovidius contagia ista fugienda esse
monet.

XXIX. Primum igitur significatum ab instituto nostro
alienum est. Non enim per contagium nudum rerum contactum
inaudimus, tametsi contagiones sine contactu fieri nequeant.
Quartum verò nobis nunc est propositum, non neglectis planè
secundo & tertio.

XXX. Ut autem ordine nostra progrediatur oratio, se-
quentes quaestiones decidere placet, & primum

Quid propriè sit contagium?

XXXI. Respondemus, esse illud medium, sive seminium, &
corpore agro emissum, per quod affectus similis alij alicui cor-
pori, quod habile est ad recipiendum morbum contagiosum, com-
municatur. Non, inquam, idem numero, sed similis duntaxat,
idemque specie affectus. Accidentia enim, in quorum albo mor-
bus est, ex subjecto in subjectum minimè migrant.

XXXII. Istud verò medium vel est vapor, vel spiritus
impurus & inquinatus, vel humor, vel sordes, vel excrementum
quoddam aliud, quod in corpus aliud qualitate sua, eaque ferè
abdita nobisque incognita, praesertim cum fuerit malignum &
venenatum, agit. Tale enim non omne est inquinamentum. Do-
cent hoc contagia phthisicorum, scabiosorum, & quorundam
ophthalmia laborantium, quae venenata non sunt.

XXXIII. Ex hac definitione patet, Contagium nostrum
non esse nudum & simplicem contactum, quo se duo corpora se-
cundum extremitates vel totius, vel duntaxat quarundam par-
tium, contingunt. Nudus enim simplexque contactus similem in
alio subjecto morbum minimè efficit, nisi inquinamentum adsit,
quod è corpore contagioso emissum in aliud agat.

XXXIV. Liquet etiam, contagium, & contagionem nobis
unum idemque non esse. Hac enim vel ipse est affectus conta-
giosus.

giosus, cui similis alij corpori, quod dispositum est ad illum suscipiendum, imprimatur. Hinc illam Fracastorius l. 1. de contag. quandam ab uno in aliud corpus transientem infectionē, & Augenus l. 6. de febr. c. 20. affectionem quandam ab uno in alterum migrantem, & per contactum communicatam definiunt. Non autem transientem in unū solum hominem, sed etiam in plures. Nam ab uno pestifero, scabioso, leproso, gallicove morbo inquinato plures infici possunt. Vel est actio, per quam contagiosus morbus in sanum corpus propagatur. Illud verò medium est, per quod affectus alij corpori communicatur. Habet igitur se instar alicujus cause proxima, morbum similem in aliud corpus inducentis. Est quippe effluviū corporis acri, quod postea in alio subjecto similem morbum producit.

XXXV. Manifestum præterea est, contagium hocce male à quibusdam definiiri qualitatem venenatam, qua similem morbum in alio parere valeat. Cum enim sit seminium, & ex corpore infecto egrediatur, transeatque in aliud, perspicuum est, corpus quoddam esse, cui qualitas tamen aliqua inhereat. Ea verò non semper est venenata: ut ex th. 32. liquet.

XXXVI. Minus etiam propriè definitur motus à morbo corpore in aliud, quo illi labes similis inuritur. Item affectus præter naturam, qui alij corpori à corpore p. n. similiter infecto communicatur.

XXXVII. Nam contagium per se & formaliter productio & motus non est, quo morbus similis in alio subjecto efficitur, sed causa proxima morbi in illo geniti.

XXXVIII. Neque est ille morbus, à quo νοσῆσαι ἀπονοσῆσαι proveniunt, sed est quasi quoddam illius seminium, quod similem affectum in alio subjecto parit.

XXXIX. Multò minus ille morbus est, qui originem à contagioso traxit, sed illius causa existit, ex corpore v. g. Titij infecto in corpus Caij derivatum.

XL. Ex hac eadem definitione constat, non quamcunque
B simi-

similis affectionis in alio corpore productionem contagionem esse: nec quodlibet, quod alteri qualitatem, seu affectionem suam impertit, contagiosum dici posse: sed solum corpus morbosum, quod scilicet tali affectu p. n. præditum est, qui alij corpori per seminium aliquod communicari queat. Nam quando calidum frigidumve corpus aliud subiectum calidum, aut frigidum reddit: aut cum venenatum aliquod animal ictu, vel morsu in corpus aliud virus suum ejaculatur, contagio minimè dicitur. Contagiosum enim esse, solius morbofi corporis est affectio. Contagio facta dicitur, inquit Fracastorius, cum simile quoddam vitium utrumque corpus, agens & patiens, tetigit. Qui hausto veneno pereunt, contagione periisse non dicuntur. Et quæ in aëre corrupta sunt, ut caro, lac, visum &c. corrupta quidem judicantur, sed minimè contagionem passa, nisi & ipse aër corruptus consimiliter fuerit

XLI. Pari modo, contagio non intelligitur esse, quando sola aliqua qualitas, quæ ad affectum aliquem recipiendum corpus patiens disponit, alteri communicatur. Quæ enim qualitas, accidens cum sit, egredi ex subiecto suo, inque aliud recipi potest? Sed sic intelligenda est, quod contagio per seminium fiat, quod specificum suæque naturæ proprium effectum edit. Nam in corpore contagioso ejusmodi est affectus, qui $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ ex se fundit, quod in corpus habile receptum illud inficere, corrumpere, similemque affectum in eo exuscitare valet. Simile enim istud $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ est seminibus plantarum & animalium. Nam quemadmodum semina ista mole quidem parva sunt, at virtute potentia, cum ea omnia in se contineant, quæ in plantis & animalibus visuntur: ita quoque $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ corporum infectorum exigua quidem sunt, sed adeò efficacia, ut naturam morbi contagiosi sapiant, & similem illi in aliud invehere subiectum queant: à posteriore solum & ex effectis nobis cognita.

Quot

Quot concurrere debeant, ut affectus
contagiosus exoriatur?

XLII. Tria: I. Corpus contagiosum, quod inficit aliud:
II. Contagium, quod ex illo emergit: ea scilicet causa, per quam cor-
pus aliud inficitur. III. Corpus, quod affectu contagioso fœdatur.
Alij dicunt, quinque esse necessaria, ut affectus contagiosus exur-
gat. I. Corpus contagiosum. II. Medium, per quod novus mor-
bus similis in alio corpore generatur. III. Corpus, quod affectum
contagiosum excipit. IV. Affectum contagiosum, qui in alio
subjecto gignitur. V. Actionem, qua similis morbus in alio ex-
citatur. Verum affectus contagiosus sub corpore contagioso com-
prehenditur. Huic enim inest, tanquam accidens: & per affectum
istud corpus contagiosum dicitur. Actio autem sub medio inau-
ditur. Hoc enim qualitate aliqua, vel occulta, vel manifesta, in
aliud corpus agit, & in illo affectum similem profert.

XLIII. Primum fons est & scaturigo contagionis. Se-
cundum instrumentum, sive medium, per quod contagio presta-
tur. Tertium patiens est, quod simili labe cum corpore conta-
giosum est inquinatum.

XLIV. Corpus, quod contagionis est scaturigo, sem-
per laborare tenetur eo affectu, qui transferri dicitur in corpus
aliud, quod patiens est.

XLV. Est verò illud vel hominis, vel bruti. Hominis,
cum leprofus, scabiosus, phthisicus, peste correptus per contagium
ex se emanans, quod halitus, sive vapor, humor, sudor, sordes &c.
est, hominem sibi vicinum affectu specie simili inficit. Bruti,
quando canis rabidus hominem rabidum reddit. Brutum ta-
men etiam brutum inquinare per contactum potest. Ovis enim
v. g. scabie laborans oves alias scabiosas reddit. Lupus rabie
correptus bruta alia simili labe inquinat.

XLVI. Gignitur autem contagium istud vel in homine
ipso, ob pravam viscerum constitutionem, aut improbam dietam:

vel aliunde illi accedit, præcipuè verò & frequenter ab aëre. Hinc is, qui venenatum inspiravit aërem, & pestem contraxit, alium, vel plures alios, eadem lue inquinare solet: rursusque inquinati afficere alios similiter valent. Phthisicus autem, leprosus, aut tinea laborans, qui proprio corporis sui vitio phthisin, lepram & tineam acquisivit, etiam iisdem vitiis alios corrumpit.

XLVII. Necessè enim est, ut in corpore contagioso semper is præexistat affectus, qui aliis impertiendus. Requiritur namque perpetuo contagium, sive $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$, tanquam causa affectus communicati. At is est utriusque, & $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ & affectus, qui aliis infertur, fons & scaturigo. Sunt multa, quæ morbi alicujus causa sunt, sed nisi & ipsa eo morbo teneantur, contagiosa dici nequeunt, ut antea dictum. Ita serpentes venenatorum morborum causa sunt: verùm cum iisdem morbis minimè affecti sint, contagiosi non sunt. Nam venena, quæ mittunt, nobis quidem venena sunt, at non serpentibus. Quod enim emittunt, id ipsis naturale est ac proprium.

XLVIII. Instrumentum, sive medium, per quod contagio in aliud subiectum invehitur, $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ est, sive morbida illa excretio & defluvium, quod à morbo contagioso prodit.

XLIX. Agit in alio corpore qualitate plerumque occulta, in eoque contagiosum malum operatur. Mole quidem exiguum est, virtute autem longè potentissimum: præsertim quod malignum & venenatum. Estque tenue at subtile, ut facile penetrare queat. Est insuper alicujus lentoris particeps, ut corpori insidendo adherere aliquandiu valeat: nec facile ab eo avelli. Habet denique illam facultatem, ut insicere possit.

L. Corpus, quod contagiosum sibi imprimi affectum patitur, non quodvis est obvium. Non enim quodlibet à quolibet patitur, sed certum, & determinatum à certo, quodque eam aptitudinem, Græci $\epsilon\pi\iota\eta\mu\epsilon\iota\sigma\tau\eta\tau\alpha$ & $\pi\epsilon\phi\upsilon\kappa\acute{o}\tau\eta\tau\alpha$ appellant, habet, ut pati, & affectum contagiosi corporis in se recipere possit. Estque
hæc

hec non solum corporis totius, sed etiam partium illius ratio. Halitus namque phthisicorum non partes alias, sed pulmones solum inficit, in iisque similem affectum profert.

LI. Quod placitum Galenus l. 1. de diff. febr. c. 4. diligenter inculcavit. Oportet, inquit, memoria semper tenere, quod nulla causarum sine patientis aptitudine agere possit. Alioquin omnes, qui sub aestivo Sole commorantur, aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu gravantur, aut ira excandescunt, aut tristitia sunt afflicti, febricitarent. Aegrotarent etiam circa canis exortum omnes, ac pestis tempore morerentur. Maximam enim in morborum generatione partem habet ἡ ἐπιηδειότης καὶ ἐλοιμότης τῆς μέλλουσι πάσχειν σώματι, habilitas illius corporis, quod passurum.

Quotuplex sit contagium?

LII. Artus proceres, inter quos sunt Fracastorius, Augenius & Petrus Salius Diversus, triplex illud statuunt, immediatum, mediatum, & ad distans.

LIII. Vocant immediatum illud, quando duo corpora ita se tangunt, ut nullum aliud inter ea sit interpositum, sed alterum ἀμέσως alterum contingit: sic ut alterum affectum suum per μίαισμα tribuat, alterum vero illum excipiat. Talis contactus est, cum scabiosus, leprofus, aut alius, qui contagioso infectus est morbo, aliud corpus, quod ab omni lue est immune, per contrectationem, aut accubitum, simili labe conspurcat. Hoc contactus modo communicatio mali contagiosi est facilima: estque hic contactus verus ac proprius: quoniam illa proprie se tangere dicuntur, quorum extrema simul sunt conjuncta.

LIV. Appellant mediatum, cum corpora illa duo, infectum & purum, sese non contingunt extremitatibus suis. Relicta autem in fomite quodam sunt μίαισμα, à quib. purum corpus contaminatur. Fomes iste corpus quoddam est, idque maxime porosum & foraminulentum, in quo μίαισμα delitescunt:

ipse verò fomes contagioso laborare morbo aptus non est. Talia corpora sunt vestes, lana, gossypium, panni, lintheamina, culcitra, &c. in quib. μιάσματα aliquando satis diu asservantur. Et fit tamen hic quoque aliquis contactus, non quidem ipsorum corporum, inficientis & inficiendi, attamen μιάσμα & corporis puri, quod inficiendum. Aliàs enim actio fieri nulla posset: cum omnis per contactum prastari soleat.

L V. Nominant contagium ad distans, quando neque corpora illa duo, infectum & inficiendum, sese immediatè tangunt: neque fomes aliquis adest, in quo μιάσματα sine reposita aëri tamen inspersa sunt, & ab inficiendo corpore unà cum aëre hausta. Ut si quis in conclavi phthisicorum, pestiferorum, lepra, aut lue gallica laborantium assiduè degat, & μιάσματα ab infectis unà cum aëre naribus, ore, spiraculis cutis &c. excipiat, contagio ad distans facta dicitur. Nam corpus infectum non inficit corpus aliud immediatè, sed per medium seminium, quod emittit. Distant ergò à se invicem illa duo corpora: sed alterum fœdat alterum interveniente seminio, quod est ἀπόρρισις, seu ἀπόρροια morbosa.

L VI. Ex allegatorum igitur authorum sententia quedam corpora inficiunt per verum & propriè dictum contactum: quedam per fomitem: quedam contagium ad distantiore[m] locum transferunt.

L VII. Verùm hanc ἱερολογία[m] contagij D. Sennertus retius ad διστολογία[m] reducit, statuitque, omne contagium vel immediatum, vel mediatum esse: sed hoc iterùm geminum facit: aliud quod per fomitem μιάσματα in se continentem hominem afficit: aliud, quod non per fomitem solidumque corpus inquinat, sed per aërem, cui μιάσματα sunt inspersa. Non igitur contagium ad distans opponitur illi, quod fit per fomitem, cum quod per fomitem contingit, res distantes etiam inficere queat. Vtri- que autem opponitur contagium per contactum: quoniam in hoc extremitates corporis infecti & per contagium inficiendi sunt.

sunt simul, & conjuncta. in contagio autem, quod fit per fomitem, & ad distans, nequaquam: quoniam per μίασμα affectus p. n. in aliud corpus transferri potest.

LVIII. Hanc διχολομίαν etiam Hucherus habet l. 4. de febr. ubi scriptum reliquit, contagium aliud esse verum, quod immediatum, aliud mediatum. Illud fieri accubitu, osculatione, aut simili alio modo. Hoc aliquo intercedente fomite, vel ipso etiam aëre, qui vehiculum quasi est contagii, quod ad distans fertur. Videmus enim, pestilentialia μίασματὰ interventu aëris in una quidem regione incipere, sed postea transferri quoque ad alias. Exemplo sit pestis illa horrenda, de qua Thucydides l. 2. de bello Peloponesiaco. Illa enim primùm inceperat in Aethiopia: postea descendebat in Aegyptum & Libyam: tandem etiam Athenas invadebat. Exemplo quoque sit pestis Anglicana, de qua thes. II. & Jo. Sleidanus lib. 6. sua histor. in fine ferè. Possunt enim μίασματὰ ista etiam sine fomite ad distantia loca transportari, aëre scil. infecto à ventis eò deducto. Quamvis & cum fomite hoc fieri queat, hominibus, brutis, rebusve inanimatis, de quib. infra dicetur, ex loco infecto ad salubrem translatis.

Sitne omne contagium, sive μίασμα venenatae naturae?

LIX. Μίασματὰ, ἀπορροίας νοσῆσας, & ἀπὸ κίστες νοσῶδες, quae ex corporibus peste, febr. maligna, elephantiasi, lue Venerea &c. infectis emanant, venenata esse natura, concedimus: quia & ipsi eorum morbi venenati sunt. Omnium autem contagiosorum corporum μίασματὰ talia esse, inficiamur. Declaramus hoc exemplo phthisicorum, scabiosorum, quadam ophthalmia specie confligatorum, quorum μίασματὰ contagiosa quidem sunt, at non venenosa: quia nec morbi ipsi venenatorum morborum numero adscribuntur. Non enim, ut supra quoque dictum, omnes contagiosi morbi venenati sunt: quemadmodum nec omnes venenati sunt contagiosi. Nam epilepsia ab aura maligna, & occulta quali-

tate

tate cerebro & nervis inimica, proficiscitur: strangulatus ab utero similiter à retro malignoque vapore oritur, neque tamen affectus isti in albo contagiosorum affectuum habentur. Sic dubium nulum est, quin venena multa ex vegetabilium, animalium, & fossilium metallicorumq; corporum familia petita, venenatos homini inferant affectus, qui tamen alios minimè simili vitio corrumpunt.

An omne seminium contagiosum putridum sit, & num ejus natura in putredine consistat?

LX. Agentem tuentur Montanus, Fracastorius, Mercurialis, Augenius & Eraustus: sed putredinem distinguunt in perfectam, & consummatam, quam vocant sordidam, intimam atque profundam, & in leviolem, vulgarem, ac superficiariam. Modos enim & gradus putredinis dicunt esse varios. Illam statuunt contagiosam esse, & omne seminium contagiosum putridum esse perhibent: hanc nequaquam. Nos eorum sententia suffragamur, quib. est persuasum, quorundam solum corporum contagia cum putredine esse conjuncta, ut phthisicorum, & tinea laborantium: omnium autem putrida esse, inficiamur, sequentibus moti rationibus.

LXI. I. quia si contagiorum natura in putredine consisteret, sequeretur, omnes febres putridas, omnesque affectus cum putredine conjunctos, contagiosos esse. Sed consequens falsum esse, quotidianus rerum usus ostendit.

Major probatur: quia ubi formalis alicujus rei ratio est, ibi res ipsa est. At formalis contagij ratio est in omnibus putridis agritudinibus, ipsa nimirum putredo. Ergo & ipsum contagium. Sunt igitur omnes affectus putridi contagiosi, quod à veritate alienum.

LXII. Nec quicquam hic valet putredinis distinctio alata. Excellens enim, consummata, & profunda putredo non specie, sed tantum gradu à leviori differt. Ideoque infertur, utramque

que contagiosam esse: magis autem consummatam & perfectam: minus leviorem.

LXIII. II. quia si omne contagium putridum esset, ejusque essentia & natura in putredine esset sita, tunc in omnibus hominibus, quos quidem invasit, putredinem causaret. Dicitur enim, contagium mole quidem esse paruum, viribus autem valde potens. Ideoque cum simile sibi simile producat, necesse est, ut putridum contagium putredinem etiam in homine efficiat. Atqui hoc non omne facit, quia non in omnibus, quibus contagium est illatum, putredinis nota in urinis, pulsu, calore, sudore &c. apparent. Experientia enim docuit, non paucos, qui bene erant constituti, seva grassante peste, hausto contagio pestifero, intra horas aliquot à medio fuisse sublato. At tam subito nihil in nobis putrescere solet. Ad putredinem namque inducendam longius temporis spatium, & alterationes praevia requiruntur.

LXIV. III. quia nulla putredo in minimo corpusculo tantam excitare potest symptomatum atrocitatem, quantam contagia & inquinamenta quaedam in corporibus nostris, etiam post longum temporis intervallum, excitare comperimus. In animum solummodo contagium, quod à cane rabido in hominem emittitur, revocetur. An non minimum illud est, v. g. vel vapor, vel portiuncula salivae humiditatis? An non diu admodum in corpore latere potest, v. g. dies, hebdomadae, menses, imò & annos, ut observatum à viris fide dignissimis, priusquam vires suas exprimat, & rabiem, hydrophobiam, canum imitatorum latratum, flammantes oculos, truculentam faciem, iracundiam, maestitiam, invadendi mordendique alios cupiditatem, principum functionum oblesionem, mala alia producat?

LXV. Concludimus ergo, non omnia contagia putrida esse: & quae putrida sunt, non sola putredine, sed qualitate aliqua occulta agere. Quae putredinis expertia sunt, corrupta quidem esse, sed ratione alia, quam putredine. Non enim unus, sed plures sunt corruptionis modi.

C

Utrum

Utrum corpus ægrum contagiosum sit ratione
ægritudinis, qua est affectum, an verò
contagij, quod ex illo emanat?

LXVI. Nisi contagium esset, contagiosus nullus morbus
existeret. Id enim in causa est, ut morbus specie similis in alio
corpore excitetur. Verum, licet hoc sit extra omne dubium, ægri-
tudo tamen contagiosa minimè excluditur. Vtrumque enim
contagiosi mali in alio subjecto causa est. A Egritudo contagiosa,
qua præcipua, sive contagium gignit, & contagium ipsum. Illa ut
causa mediata: hoc ut proxima & immediata. Per istud enim
morbus contagiosus efficax est, & morbum similem alio in sub-
jecto producit.

Unde ergo corpus reddatur contagiosum?

LXVII. Vel ab interna, vel ab externa aliqua causa. In-
terna cause sunt vapores, humores, spiritus, & excrementa va-
ria, prava qualitate prædita; qua omnia orta sunt à mala visce-
rum constitutione: ut videre est in lepra, scabie, phthisi, tineæ,
febri maligna. Externa sunt aer pestilentia inquinamentis in-
fectus, aqua putrida, putida, malignaque qualitate contaminata,
halitus terræ & venenati, ex scrobibus, profundisque specubus,
quos Galenus comm. 1. lib. epid. χαρωνέας βαρύνεας appellat;
itemque ex cadaveribus insepultis, & putridis oleribus, frugibus,
fructibus, ac leguminibus spirantes. Hæ namque cause corpora apta
atque ad suscipiendam infectionem disposita conspurcant, faciuntque
ut infecta simili labe per suos vapores, humores, spiritus, sudores,
urinas, alvi feces &c. inficiant alia.

Quomodo contagium propagetur, &
communicetur alijs subjectis?

LXVIII. Sive per contactum immediatum, sive per fo-
mitem, sive ad distans fiat contagio, h. e. affectus specie similis il-
li, qui hæret in corpore prius laborante, semper tamen fieri per
conta-

contactum dicitur: quoniam nulla actio fit sine contactu. Nudus autem contactus minimè sufficit. Aliàs quilibet morbus contagiosus foret, si, qui eo afficitur, alium attingeret.

Propagatur autem morbus perpetuò per aliquod medium, quod sæpè jam μιάσμα, ἀπόρροια νοσῆρά, σπέρμα, ἢ ἀπόκρσις νοσῶδης appellatum fuit. Id emanat ex corpore infecto: & transfertur in aliud, vel per ἀδελον διαπνοήν, vel per sudorem, vel per faeces alvi, vel per sanguinem, vel per urinam, vel per habitum oris, cum expiramus, vel per saniem, ἰχῶρα Graci vocant, vel per pus, aut sordem, gracè ρύτω Ⓞ, quæ excrementa ex ulceribus, vulneribus, ruptisque abscessibus exire solent, vel per illam immunditiam, quæ cuti adheret.

LXIX. Cum μιάσματα λοιμῶδη per aërem sunt dispersa, orta ab aquis infectis, venenatis halitibus, è specubus, scrobibus, antris, & cavitatibus montium spirantibus, oleribus insuper, fructibus, fructuumq; stirpibus putrefactis, aut cadaveribus animalium insepultis, ium aër inquinatur: inquinatus ab hominibus inspiratur: inspiratus contagiosum morbum gignit: qui postea alios simili malo, qui ad id suscipiendum sunt habiles, afficit, siue ijs accumbant, siue illis solum cohabitent: qui & ipsi rursus alios inficere solent.

LXX. Eadem ratio est phthisicorum, quorundam ophthalmicorum, & aliorum, è quib. μιάσματα effluunt, quæ in aërem diffunduntur. Vnde, qui illum excipiunt, eosdem morbos contrahunt.

LXXI. Quaedam tamen contagia per aërem non disperguntur, sed pileis, vittis, collaribus, indusis, thoracibus, caligis, tibialibus, stropholis, linteaminibus, culcitris, stragulis, auleis, rebus aliis inhaerent, & homines postea affligunt.

LXXII. Docent quippe Scriptores, μιάσματα contagiosa duob. modis disseminari: uno per fomitem, cui insunt: altero per aërem.

LXXIII. Vocant fomitem omne id, quod seminaria illa

contagiosa excipere, excepta aliquandiu retinere, aliisque corporibus. rursus communicare potest, ut supra dictum. Est namque sedes, locus, & domicilium seminariorum.

LXXIV. Hujus generis tum ea sunt corpora, qua modo recensita, tum in genere illa omnia, qua porosa sunt, rara, laxa & foraminulenta: ut lana, gossypium, & qua ex iis confecta, pelles item animalium pilosa &c.

LXXV. Corpora, qua dura sunt, solida, densa atque compacta, ut lapides, metalla, & qua ex metallis sunt parata, omnis generis vasa, arma militaria, & nummi, $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ illa non facile admittunt, siquidem pura sint ac munda. Sin sordibus conspurcata, $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ illis adherere possunt. Quam ob causam etiam corpora viscosa fomites esse queunt.

Quo pacto contagium in corpus nostrum penetret & adigatur?

LXXVI. Id constare potest ex jam dictis. Varijs quippe modis hoc contingit. Nam quod dispersum est per aërem, id per os, nares & cutis spiracula inspiratur. Quod fomitibus inhaeret, raris pariter, seu porosiss & foraminulentis, & densis atque compactis, foris tamen inquinatis, per poros cutis, perque hiantia venarum & arteriarum orificia sese insinuat. Nam extrema istorum vasorum ad cutim pertingunt: cumque arteriae dilatantur, contagium attrahitur. Et quia multis in locis arteriae cum venis per $\alpha\nu\alpha\sigma\mu\acute{\omega}\sigma\epsilon\iota\varsigma$ copulantur, ideo contagium facile ex illis in venas derivari potest.

An contagium aliquandiu in homine possit delitescere, antequam se prodat, viresque suas exerat?

LXXVII. Multi hoc fieri posse negant: praesertim cum de seminario pestilenti rogatur: moti hac potissimum ratione, quod venenum pestilens principio vitae, Cordi, sit insensissimum,
viri-

viribusque potentissimum: adeo ut brevi temporis spatio hominem tollat à medio. Ideoque persuasum habent, id cordis, reliquarumque partium actiones laderè, diuque latere non posse. Sed falli eos, experientia docet. Compertum enim, quosdam peste fuisse correptos, nec tamen illico decubuisse: quin imò, quando suspicati sunt, se infectos esse, vel iuvisse ad popinas, vel ad choreas & tripudia se contulisse, vel amicos visitasse, vel balnea ingressos esse, ut haustum virus exudarent, sperantes fore, ut à peste liberentur.

LXXVIII. Ratio insuper suadet, fieri, quod queritur, posse. Hic enim & ad agens, & ad patiens respiciendum.

LXXIX. Agens est ipsum πιάσμα pestiferum, quod non semper iisdem pollet viribus: sed modo vehementius est atque intensius, modo mitius & remissius.

LXXX. Patiens corpus est: quod si fuerit validum ac robustum, fortiter etiam morbificis causis, & consequenter etiam πιάσμα pestilentiali reluctatur, nec statim decumbit, aut succumbit: praesertim si usum sit alexipharmacis: vel debile atque infirmum, quod tantam resistendi facultatem non habet.

LXXXI. In illo igitur aliquandiu latitare contagium potest. Verum otiosum interim non est: sed pravam corpori διάθεσιν inducit, humores, excrementa, spiritus, partiumque constitutionem naturalem corrumpendo: qua aucta, vires tandem suas profert in apertum. In hoc idem πιάσμα diu minimè occultatur, sed vires suas brevi exerit.

LXXXII. Quod autem contagium pestiferum per aliquod temporis spatium celari possit in homine, primum eorum exemplo declarari potest, qui metu infectionis fuga sibi consulunt, & ad locum purum salubremque se conferunt, nil rerum infectarum secum auferentes. Observatum enim, tales quandoque post aliquod temporis intervallum peste corripi. Quam ob causam? Certè non loci ratione, ad quem se contulerunt, qui à contagio communis est & liber. Nec ratione infectarum recularum, quas

nullas secum habuisse presupponitur. Ergo ratione πιάσματι
quod in loco infecto ab ipsis haustum.

LXXXIII. Illustrari hoc etiam potest exemplo contagii
canis rabidi. Nam ex monumentis Scriptorum fide dignissimo-
rum constat, venenum ejus aliquando citò, nonnunquam verò
tardè admodum se proferre.

LXXXIV. Vidit Albertus Magnus hominem à cane
rabioso in brachio demorsum, in quo demum septimo post anno
locus citatrice obductus cepit inflari, cum hominis intra biduum
internectione.

LXXXV. Scribit Nicolaus Florentinus, filium tinctoris
cujusdam Venetiis à cane rabie conflictato vulneratum non edi-
disse rabiei signa, nisi mense octavo post vulnus acceptum.

LXXXVI. Amatus Lusitanus refert, hominem Thef-
salonia à cane rabido sauciatum post annum demum tertium in
rabiem actum esse.

LXXXVII. Salius memoria prodidit, virus canis rabia-
si per morsum homini impactum, adeò segniter quandoque ope-
rari, ut perniciem, quam illaturum est, non ita citò mani-
festet. Hinc aliqui ad dies plures, alij ad menses, quidam an-
no exacto rabie infestari solent. In nonnullis affectum istum
ad quintum, septimum, & duodecimum annum fuisse dilatatum
ait.

LXXXVIII. Rationem hujus diversitatis reddere cona-
tur Salius, quæ, licet apodictica non sit, ut in ejusmodi rebus ab-
strusis mens humana cacutire solet, tamen cum sit plausibilis, eam
hic adscribere minimè pigeat.

LXXXIX. Venena inquit, & deleteria alia, quæ ὄλη τῆ
σῆα, ut Galenus passim loquitur, nature humane adversantur,
à calore nostro superari nequeunt, sed hausta, aut quovis alio mo-
do in corpus immissa, semper agunt, tandemque hominem ad per-
niciem deducunt. Actio verò ista aliàs citò, aliàs tardè perfici-
tur: cujus diversitatis, ut nos quoque paulò antè monuimus, cause
sunt

sunt dua: agens & patiens. Agens est ipsum $\mu\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$: quod quò est perniciosius & vehementius, eò operatur citius: quò est debilius, eò tardius actionem suam exerit. Patiens corpus est: quod quò est robustius, eò magis $\mu\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$ resistit: tardiusque afficitur: quò autem infirmius est, eò celerius $\mu\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$ effectus persequitur.

X C. Cum igitur virus canis furiosi per se sit ignavum, alios citius, tardius alios affligere solet: nimirum pro corporis dispositione. Citius infirmos: tardius potentes, praesertim si illud quoque bona diata & convenientibus alexipharmacis reddiderint hebetius.

X C I. Ad sententiam allegatorum authorum suum quoque iudicium Palmarius adscribit, dicens, non statò definitoque tempore contagium canis rabiosi vim suam palam facit: sed alias quidem septimo, aut nono à morfu die, alias decimo septimo, aut vigesimo, ut plurimum quadragesimo, nonnunquam & mense septimo, aut etiam anno integro.

X C II. Potest idem placitum, quod contagium aliquandiu in homine delitescere possit, declarari exemplo eorum venenorum, quae ad certum tempus hominem interficere solent. Neque enim hoc fabulam esse, quemadmodum H. Mercurialis libr. 1. de Venen. c. 7. & L. Joubertus Decad. 2. parad. 10. crediderunt, ex monumentis clarorum virorum probari potest.

X C III. Agellius l. 6. N. A. c. 4. illustre exemplum tradit de M. Attilio Regulo, Consule Romano laudatissimo: qui cum Carthaginenses saepe vicisset, tandem per insidias captus, Romamque postea missus est. Sed cum Romam venisset, ipsemet permutacionem dissuasit. Reverso Carthaginem datum fuit venenum, non praesentaneum, sed ejusmodi, quod mortem in diem proferret, ut viveret quidem tantisper, quo ad fieret permutatio: post autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Videsis de hac historia eundem Agellium, Silium Italicum lib. 6. bell. Punico, & Ciceronem paradox. 2. & alibi.

XCIV. Amatus Lusitanus curat, medicin. 2. curat. 65. docet, reperiri venena, quae intra annum, aut ad determinatum tempus interficiant, fabulosum minimè esse. Esse quippe, quae intra mensem opus suum perficiant: esse etiam, quae citius, aut tardius hoc praestent, pro subjecti scil. ratione: hocq; suum decretum exemplo pueri cujusdam 12. annorum confirmat, qui pullis, quibus ancilla clam pulverem arsenici inspererat, degustatis, paulatim marcidus factus intra annum expiravit.

XC V. Theophrastus, Aristotelis discipulus, libr. 9. hist. plant. c. 16. scribit, componi ex aconito venenum, quod certis occidere possit temporibus, videlicet bimestri, trimestri, semestri, anno completo: nonnullum & biennio. Pessimè illos è vita discedere, qui plurimum temporis resistere queunt. Paulatim enim eorum tabescere corpus, & languore perire diuturno. Facilimè contra mori illos, qui confestim obeunt.

XC VI. Non praesentanea solùm, sed & temporaria haberi & preparari posse venena, quae post aliquod temporis interval- lum operentur, author etiam est Avicenna l. 4. can. fen. 6. tract. 1. cap. 2.

XC VII. Eorum quoque meminit Author lib. de Med. art. partibus, qui inter spurios Galeni recensetur. Ait enim, neutra corpora, quae nos decidentiae appellare solemus, opus habere artis parte $\pi\rho\phi\upsilon\lambda\alpha\chi\iota\mu\eta$. Laborare quidem aliqua intemperie, nondum tamen actu egrotare: quippe cum possint adhuc solitas suas actiones exercere, & nullo malo, quod evidens sit ac sensibile, teneantur: similes hoc nomine ijs, qui à cane rabido sunt demorsi, aut qui venenum, quod non nisi post temporis aliquod spatium interficit, hauserunt.

XC VIII. Nec planè alieni sunt Valleriola l. 3. loc. comm. c. 18. Paræus l. 20. de venen. c. 3. & Matthiolus comm. in l. 6. Dioscorid. in praefat. Concedunt omnes, preparari posse venena, quae non illicò operentur, sed demùm aliquo temporis intervallo post eorum assumptionem. Posse namq; eorum vires ope antido-
torum

horum ita hebetari, frangi atque obtundi, ut neque protinus, neque paulò post, sed demùm post tempus aliquod homini lethum adferant. Citiùs quidem illis, qui debilioris sunt complexionis: tardiùs verò ijs, qui virium robore præ cæteris pollent. Inficiantur autem, operari venena, suosque proferre effectus pro voto & arbitrio nostro, & quidem præcisè, hac vel illa hora, hac vel illa die, hoc vel illo mense, aut anno. itaque tempus accipiendum arbitrantur ἐν τῷ λῶρε, scil. præter propter: quia pro qualitate veneni assumpti, & natura hominis, qui id assumpsit, citiùs tardiùsve agere solent.

XCIX. Quòd contagium aliquandiu in homine latitare possit, etiam exinde perspicitur, quia in civitatibus benè constitutis lege sancitum est, ut qui ex locis peste infectis veniunt, tandiu ab hominum sese consortio subducere cogantur, donec omnis contagij suspicio sit subviata. Spatium temporis est 40. dierum, quo degere necesse habent in Lazaretis, uti vocant, procul à civitatibus remotis. Et sanè experientia restatum fecit, per unum & alterum duntaxat hominem, aliunde ex loco infecto adventantem, pestem non rarò introductam fuisse, totamque aliquam urbem, virulentia sua invasisse. Quam ob causam non paucis in locis homines, qui infectas duntaxat ades inhabitant, includuntur, ne contagia pestifera dilatent transferantque in alios.

An contagium per aliquod temporis spatium manere in fomite queat, hominesque inficere?

C. Quid per fomitem authores in hac doctrina intelligant, suprà fuit aliquoties indicatum: nimirum corpus aliquod, quòd contagium excipere, & exceptum aliquandiu retinere, alijsque corporibus communicare potest. Tales autem fomites sunt tum corpora porosa, & foraminibus pervia, tum etiam compacta, dura atque densa. Ex quib. illa ad suscipiendum contagium sunt

D

para-

paratiora : hac minus, nisi sordibus sint conspurcata. In illis enim contagium quasi irretitur & inviscatur.

CI. Posse verò contagium aliquandiu fomiti inharere, ex eo probatur: quia experientia docet, si ex locis peste afflictis lana, gossypium, vestes, panni, his similia utensilia alia, ad salubria loca transportentur, fieri, ut pestis in illis oboriatur. Subtilia enim sunt contagia, facileque penetrant, & videntur etiam in se aliquid lentoris habere, cujus ratione adherescere queunt.

CII. Quodsi odores linteaminibus, vestibus, cheirotheis &c. diu inherent: si fumi & fuligines in parietibus satis longo tempore perseverant, quidni & μιάσματα illa contagiosa suis fomitibus per aliquod temporis spatium inesse possent?

Num utraque φθίσις, tam illa, quæ dicitur ὑσερογενής, quàm quæ πρῶτογενής appellatur, contagiosa sit?

CIII. Phthisis ὑσερογενής illa vocatur, quæ alios affectus secuta: v. g. catarrhos cerebri falsos, pleuritidem, peripneumoniam, empyema, tussim ferinam, violentam vomitionem, suppressionem mensium in mulieribus, hemorrhoidum in viris, &c. πρῶτογενής ea statuitur, quæ proprio pulmonum vitio excitata. Tale autem vitium illis inesse perhibetur, quando natura sunt præhumidi, & flaccidi admodum atq; molles. Putredini enim sunt obnoxij: facileque ulcus concipiunt. Quo nomine φθίσις etiam hereditarius morbus ab artis proceribus creditur. Observatum enim, cum plures una in familia, eodem sanguine cretos, φθίσεσσι laborasse: non aliam ob causam, quàm quòd talem διάθεσιν pulmonum à parentibus acquisivissent.

Ad problema autem respondemus, utramque φθίσιν contagiosam esse: quia in utraque μιάσματα contagiosa, vapores & humores è pulmonibus exulceratis emanant, qui non modo cohabitantes, siquidem dispositi sint ad hunc affectum suscipiendum, simili labe inficiunt, sed etiam fomiti alicui diu adherere possunt.

possunt, v. g. lintheamiribus, indusiis, tunicis pelliceis, vestibus &c. aliosque in eundem affectum conytere. Tenax enim & lentum phthificale dicitur esse contagium, ut aliquandiu perseverare possit in conclavibus & lectis, in quibus phthifici decubuerunt, & indumentis, quibus idem usi. Experientia siquidem comprobavit, quosdam, qui in conclavibus & lectis tabidis successerunt, eorumque vestimenta sibi applicarunt, tabidos tandem factos esse.

Mirum autem est, tale πίασμα non partem aliam, sed solos pulmones affligere. Ratio verò esse videtur, quòd non omnia in quavis obvia agant, sed in illa, quæ ἐναλογίαν quandam cum agente habent. Quæ quoque causa est, quod contagiosa ὀφθαλμία non partes alias, sed oculos solum aggrediatur.

An non ex omnibus ægris corporibus aliquid expiret? Et cur non omnium ægrotantium affectus sint contagiosi?

CIV. Ἄδηλ. & illa διαπνοή communis est omnibus, sanis pariter & ægris. Sed in aliis uberius est, in aliis parcius. Uberius in ijs, quorum corpus est calidius & habitus rarior, patensque magis: cuiusmodi est cholericorum & sanguineorum. Parcius in phlegmaticis & melancholicis: quia frigidioris sunt complexionis, estque corporis illorum habitus minus apertus & foraminibus pervius. Materia, quæ transpirat, vel vapor est, vel fuligo, sive quasi quidam fumus. Is est humidus: hic siccus. Vtriusque efficiens causa est calor. Materia humor. Est enim hac διαπνοή nil aliud, quàm humorum per insensiles corporis meatus evaporatio, seu discussio & dissipatio.

Verùm hinc quæritur, cur cum in ægris quoque ejusmodi fiat διαπνοή, vapores & fuligines, quæ ex illorum corporibus exhalant, non alios quoque, præsertim adstantes & cohabitantes, inficiant, vel immediato, vel mediato contactu? Respondetur, contagia effectum contagiosum in alio corpore efficere, cum hoc

est ad suscipiendam contagem habile: & cum contagia efficacius sunt satis, qualia praeter ceteris sunt venenata. Talia namque sunt valde activa: praesertim si etiam fuerint subtilia, quia promptè penetrant: habeantque aliquid lentoris in se & visciditatis. Sic enim adherere queunt. Quae verò talia non sunt, sed in agendo remissiora, substantia crassiora, aut tenuia quidem, sed aquosa, aut sicca atque arida, ea contagionem non pariunt, quòd non adhaereant: sed vel à suffitibus alterentur, vel à calore consumantur & dissipentur, vel à frigore arceantur & reprimantur, vel à ventis & motu disjiciantur.

An inter contagium & corpus, quod ab eo inficitur, reverà aliqua sit similitudo & ἀναλογία, uti suprà dictum?

CV. Quidam tuentur agentem: hac addita ratione, quòd simile facile simile admittat, & quòd similia promptè jungantur. Verum rectius illi sentiunt, qui negantem amplectuntur, putantque, potius ἀνίστασθαι quandam inter illa esse. Etenim contagium agens est, corpus, quod ab illo inficitur, patiens. Si hoc, sanè contagium corpori, quod inficitur, neutiquam simile erit. Quid ita? Quia actio & passio est inter contraria. Et qui potest id, quod corrumpit, simile esse illi, quod corrumpitur? Atqui contagium corrumpit: corpus, quod illud recipit, corrumpitur. Itaque nulla inter illa est ἀναλογία. Si aliqua hìc est ἀναλογία, ut esse haud diffitemur, ea certè est inter corpus, quod primò infectum est, & quasi termini cujusdam à quò rationem habet, & inter corpus, quod per contagium inficitur, quodque est instar termini ad quem. Hic ergò ἀναλογία illa consistit: scilicet inter corpus infectum & per contagium inficiendum: non inter contagium & corpus istud, quae non similia sunt, sed inimica. Etenim affectus p. n. qui priori corpori fuit communicatus, alteri quoque facile communicari potest: ratio est: quia quemadmodum affectus ille priori corpori inimicus erat, & ita quidem, ut illud ladere poterit,

tuerit, sic alteri quoque, utpote priori simili, erit contrarius, idq; similiter offendere poterit. V. S. μίαιμα scabiei, quod prodit à corpore scabioso, simile alteri corpori, quod scabie inquinandum, non est, sed planè illi contrarium. Aliàs id non exulceraret, & scabiosum redderet. Sed corpus primò scabiosum redditum simile dicitur alteri corpori, quod à miasmate scabiosi corporis deturpandum est. Ex quib. causa reddi potest, cur non quodvis corpus vim habeat inferendi affectum suum in quodlibet? Nam contagiosi hominum morbi brutis contagiosi non sunt: nec brutorum hominibus: quoniam inter corpora ista talis ἀναλογία non est, qualis in communicatione contagionum requiritur.

An utraque contagio, immediata & mediata, per eandem in genere causam fiat?

CVI. Nonnulli asseverant, contagionem immediatam fieri per corpus & substantiam quandam, v. g. per sudorem, sordem, pus, ichorem &c. Mediatam verò & ad distans tantum per qualitatem. Nos autem eorum subscribimus sententia, qui docent, etiam contagionem mediatam per substantias communicari, sive per fomitem, sive per aërem transferatur. Agere tamen substantias istas per qualitates, easque ut plurimum occultas. Nam si contagiosi morbi communicantur per νοσέρας ἀποκρίσεις, seu per ἀπορροίας νοσώδεις, sequitur, non per qualitates nudas, sed per substantias, & corpora, qualitatibus praedita, communicari: aliàs sequeretur, qualitates deserere sua subjecta, & migrare in alia, instarque corporum de loco in locum moveri: quae sunt ἀνόμα καὶ ἀούσατα.

An aër etiam fomes dici queat μιασμάτων?

CVII. Ex traditis liquet, contagionem immediatam fieri per contiguitatem duorum corporum: quorum alterum inficit, alterum inficitur. Mediatam per fomitem & per aërem. Videtur

igitur aër in albo fomitem minimè contineri. Nos, licet pleriq;
aërem à fomite distinguant, haud tamen arbitramur, piaculum
esse, si aër quoque in fomitem numero habeatur. Nam quemad-
modum fomites μιάσματα corporum infectorum excipiunt: excepta
aliquandiu fovent ac retinent: retenta tandem communicant
corporibus alijs: ita & aër illa excipit, asseruat, tandemq; rursus
reddit, & alia corpora inficit. Verissimum hoc esse, monstrant
μιάσματα λοιμώδη, quae ab infectis corporibus prodeunt, & aëri
permiscentur: permixta retinentur: retenta postmodum unà
cum aëre ab hominibus inspirantur. Fomes enim nil hìc est aliud,
quàm sedes, locus, habitaculum & domicilium μιάσμάτων. At
talis illorum locus & sedes etiam aër est.

Notandum autem, authores fomitis vocabulo nonnunquam
abuti, & fomitem non solum pro loco & domicilio μιάσματος
usurpare, sed etiam pro ipso μιάσματι ponere: quoniam morbum
contagiosum in alieno subjecto quasi fovet atque sustentat. Sicut
fomes propriè dictus, græcè ένασμα, ζώπυρον ή υπέκκαυμα, suc-
cendiculum, & suscitabulum, ignem conservat & nutrit.

An contagiosus fieri possit morbus sine
prægresso alterius corporis contagio,
sive inquinamento?

CVIII. Potest: & quidem ijs in corporibus, in quibus
contagiosus morbus non ab externis, sed internis causis, vitio
viscerum, est genitus. Experientia namque docet, oviri posse
phthisin, scabiem, tineam, lepram, febrim malignam, sponte, &c.
sine contagio & inquinamento ab alio corpore emisso. At affe-
ctus isti contagiosi sunt, quia alios simili lue afficere possunt. De
natura enim & essentia morbi contagiosi non est, ut ex inquina-
mento alterius corporis nascatur: sufficit, ut aliud corpus simili-
ter afficere queat. Sciendum enim, quosdam morbos ex inquina-
mento alterius alicujus corporis generari: nonnullos autem fieri
spontè à causa aliqua interna: qui utriusque tamen contagiosi dici
solent.

solent. Illi dupliciter, & quòd ex contagioso morbo aliorum corporum sint geniti: & quòd similem sibi in alijs producere valeant: hi eam solummodò ob causam, quoniam alia corpora inquinant, similemque labem illis aspergunt.

An contagiosum esse sit solius corporis actu ægrotantis?

CIX. Omnino. Contagiosum enim id dicitur, quod in se habet ejusmodi seminium, per quod alijs corpori similem affectum communicare potest. At tale seminium in nullo corpore, præterquam in agro reperitur. Id enim proxima causa est sequentis affectus in alio subjecto: estque effluviùm, seu excretio quadam morbida corporis aliud corpus inficientis. Ideoque morbosum sit oportet.

Sitné contagium certa quædam morborum affectio & proprietas, qua se possint multiplicando ad alia subjecta proferre?

CX. Sic visum fuit doctissimo Erasmo. Sed mirum, magnum istum virum contagio varia assignare genera. Ex quo apparet, illum vocabulum contagij non uno semper eodemque modo accepisse. Nam ex Epist. 17. 19. 21. & 22. liquido constat, illum contagium habere modò pro accidente & qualitate: modò pro specie quadam putredinis: aliquando pro qualitate putrida: interdum pro affectu præter naturam: nonnunquam pro qualitate, que à seminario unà cum morbo in corpus inducatur: non semel etiam pro corpore & substantia. Ait enim, contagium esse σπέρμα, ἐπιπόρευσις, ἀποπόρευσις: & pestifera contagia dicit ab igne consumi: à suffitibus alterari & frangi: à motu disijci & debilitari: à frigore alterata reddi innoxia: à calore extenuari, tolliq; in altum: ab admistione aliorum corporum vim illorum exolvi: permanere etiam aliquandiu in fomitibus, culcitris scil. stragulis & vestibus.

Ex

Ex quib. apparet, contagium ex ipsius sententia substantiam & corpus esse.

Nostra sententia est, contagium unum duntaxat proximum genus habere, cum sit ens unum, unamque essentiam obtineat. Non esse substantiam & accidens. Sic enim contradictoria staturerentur. Insiciamus etiam, contagium affectionem esse morborum, sed seminium esse perhibemus, effluens ex corpore infecto, & similem morbum in alio subjecto produciens.

An sanitas per contactum alteri communicetur, perinde ut morbus?

CXI. Movet hoc problema Aristoteles sect. 7. probl. 4. & querit causam, cur à morbis nonnullis agrotent, qui appropinquaverint: à sanitate verò nemo sanari possit? Et respondet, causam esse, quòd morbus sit motus: sanitas verò quies. Ideòque illam movere posse: hanc non posse. Addit & rationem aliam, quam tamen nunc missam facimus, utpote parum probabilem. Simile movet Ζήτημα Alex. Aphrodisæus lib. 1. probl. 33. de lippiente, & querit, cur lippiens morbum suum communicet sano: hic verò lippienti suam sanitatem haud quaquam? Et respondet, causam esse, quoniam oculi sunt humidi & molles, facileque pati possunt. Cum verò sanitas consistat in κράσει συμμέτρῳ, morbus autem in δυσκρασίᾳ ἀμέτρῳ, ideò quod σύμμετρον est, facilius ab ἀμέτρῳ transmutatur, quàm à contrario. Oculorum igitur δυσκρασία, qualis est in ὀφθαλμιά, seu lippitudine, cum sit ἀσύμμετρον, sanitatem celerius pervertit, utpote ἐνκρασίαν σύμμετρον. Fortius enim immutat infirmius: non hoc illud. At morbus fortius quid est, quia est excessus: sanitas infirmius, quoniam in moderatione & συμμέτρῳ consistit.

Cur alij morbi sint contagiosi, alij non?

CXII. Contagiosi morbi sunt illi, inquiunt Aristoteles sect. 7. probl. 4. & Alex. Aphrodisæus l. 2. probl. 39 qui I. in
corpo-

corporis superficie siti sunt, ut scabies, lepra, tinea &c. qui II. effluviū putridum, pestilens, aliterve corruptum emittunt, ut pestis, φθίσις, lepra, ὀφθαλμία: qui III. saniem lentoris participem eructant, ut aliquandiu adherere queat. Qui verò intus in corpore latent, nec quicquam tale emittunt: aut si quid emittunt, id tamen vel tenue sit admodum, ut facile transpiret atque exhalet, promptèque discutiatur: vel aquosum, siccumve, ut adherere nequeat: vel non ea vi polleat, ut inficere sibi que similem affectum creare valeat, in albo contagiosorum morborum haberi non potest.

Advertendum enim, priora requisita minimè sufficere, ut morbus contagiosus oboriatur: sed necesse esse, ut inquinamento peculiaris aliqua facultas insit, quæ in alio corpore affectum similem proseminare possit. Videmus quippe, multos affectus in superficie corporis consistere, corrupta eructare, & eructare etiam lenta ac glutinosa, neque tamen contagiosos esse. Exemplo sint abscessus, ulcera & vulnera, quæ in corporis superficie sita sunt, & tùm ichorem, tùm pus, tùm etiam sordes alias evomunt, lentoris neutiquam expertes, neque tamen cheirurgos inficere. Quæ autem & qualis illa facultas sit, verbis exprimi nequit,

Est procul à nobis ad eò præsentia veri!

Utrum morbus aliquis per se & formaliter consideratus contagiosus sit?

CXIII. Negatur. Sic enim contagiosum esse, esset de natura & essentia morbi: & sic omnes in universum morbi contagiosi forent: quia omnes in una natura generica conveniunt: & quia quæ per se de generibus prædicantur, eadem etiam de subjectis speciebus dicuntur. Itaque contagiosum esse, accidens est certorum quorundam morborum: ad essentiam verò morbi, quæ morbus est, minimè pertinet: quemadmodum nec brevitās, nec diurnitas, nec acumen, nec putredo, nec magnitudo, nec similia accidentia alia.

E

Dices,

Dices, cū tria sint summa morborum genera, intemperies, mala compositio, & continui solutio, cūque nullum horum, quatenus intemperies, mala compositio & continui solutio est, contagiosum sit, sequi videri, nullum prorsus morbum contagiosum esse. Respondemus, distinguendum esse inter hac morborum genera, quatenus absolutè & solitariè, sine suis causis & subjectis, & quatenus cum causis & subjectis considerantur. Nulla enim intemperies absolutè considerata contagiosa est: quedam tamen in certo aliquo subjecto, presente seminio contagionis, quod ex tali, vel tali natum est intemperie, contagiosa nomine venit. Eademque in cæteris morborum generibus est ratio.

Cur *μιάσματα* aliquando in fomitibus maneant diutiùs: interdum verò brevius?

CXIV. Causa videtur habere vel in ipsis *μιάμασι*, inquinamentis: vel in fomitibus: vel in utrisque: vel in causa quapiam externa.

In seminis & inquinamentis, cū quantitate sunt pauca. Breui enim evanescent. Cū qualitate sunt admodum tenuia & subtilia. Citò namque exhalant. Aut minus lenta. Non enim tenaciter adherent. Cū denique sita sunt in superficie. Sic quippe facile alterantur, & abiguntur.

In fomitibus, cū rari sunt, laxi, porosi, & crebris foraminibus pervii. Per hac enim seminia promptè expirant.

In utrisque ob rationes dictas.

In causa aliqua externa: v. g. in igne *μιάματα* consumente: in suffitibus & fumis illa alterantibus, & obtudentibus: in ventis ea depellentibus: in motibus & agitationibus, ea dissipantibus.

An pars partem in uno eodemque corpore eo affectu, quo laborat, inficere queat?

CXV. *Maximè. Pater hoc in cancro, in ulceribus depascentibus & phagedenicis, in gangrena & sphacelo, in scabie, in putredine humorum, qui existunt in vasis, in lue gallica, in elephantiasi &c. Partes enim ulcerata, scabie affecta, lue gallica, vel elephantiasi fœdata, cancro inquinata, partes sibi vicinas, & hæc rursus aliàs simili labe inficere solent. Sic parte sanguinea massa in vasis putrefacta, fit, ut putredo quoque serpat in continuas & coherentes. Etenim, ubi est & affectus contagiosus, & seminium inde scaturiens, & contactus, vel mediatuus, vel immediatus, & dispositio, siveabilitas ad affectum aliquem excipiendum, ibi nullum dubium, quin affectus partium prius affectarum partibus aliis ejusdem corporis, & illis quidem primùm proximis, postea etiam distantioribus communicari queat. Atqui dictis in affectibus hæc omnia requisita contagionis adsunt. Ergo rationaliter concluditur, partes unius ejusdemque corporis etiam alias simili vitio contaminare posse.*

**Qua ratione contagiosus hominis morbus
in alio per contactum immediatum generetur?**

CXVI. *Vt per contactum immediatum contagiosus alicujus hominis morbus in alio generetur, necesse est I. ut homo v. g. peste, scabie, lue Venerea, elephantiasi &c. laborans, alium hominem nudum contingat, quod præcipuè in lecto fieri potest. II. ut ejusdem corpus incalescat. III. ut pori cutis aperiantur. IV. ut μίαισμα aliquod, v. g. sudor, humor, vapor, spiritus &c. exinde emanet, seseq; in corpus alterius hominis itidem nudum, calefactum atque apertum insinuet: quo factò, dubium nullum est, quin, si corpus contagium excipiens habile sit, simili labe inficiatur. Idque fit non solum in corpore toto, sed etiam in partibus. Hæc namque, si sint infecta, vicinas sibi simili sorditie conspurcant: & hæc rursus sibi proximas, donec malum etiam ad interiores pervenerit. Id quod in lue Venerea, qua ex impura conversia,*

contracta, est manifestissimum. Partes namque genitales, quae nuda sunt, rara, molles & laxa, calefacta etiam, prima $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ gallicum excipiunt, eoque puniuntur, quo peccarunt: postea id partibus sibi proximis communicant, & haec iterum sibi vicinis, donec totum tandem corpus occupetur.

Quomodo morbus contagiosus propagetur per fomitem?

CXVII. Hoc fit per contactum mediatum. Nam corpus infectum aliud corpus non contingit: sed $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ aliquod alia aliqua in re relinquit, ejus interventu aliud corpus tangit, idque similiter afficit. Aegrum quippe corpus sanum immediate non attingit, quando contagiosus morbus per fomitem communicatur. Communicatur autem, si sanus ijs rebus utatur, quae contagioso corpori erant consueta: ut sunt pocula, cochlearia, scutella Ciceroni, Martiali scutula, tunica nocturna, praesertim quae pilosis animalium pellibus sunt suffulta, vitte, pilei, indusia, collaria, thoraces, caligae, tibialia, lintheamina lectorum, mantilia, cheirotheca, strophiola, &c. In his enim aeger $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$ relinquit, quae sanis corporibus vel secundum totum, vel secundum partem similem labem aspergunt. Eademque illorum fomitem est ratio, quae merces dicuntur, & inquinamentis infecta terra marique ad nos vehuntur.

Quo pacto hoc contagionis genus à priori, quod fit per contactum immediatum, differat?

CXVIII. Duobus praecipue modis, ut facile ex dictis colligere licet. I. quia primum genus fit per immediatum duorum corporum, aegri & sani, contactum. In hoc secundo nequaquam. Aegrum enim corpus sanum non attingit, sed id per $\mu\acute{\iota}\alpha\sigma\mu\alpha$, quod fomiti alicui inhaeret, inficit. II. quia in primo genere corpus, quod aliud labefactat, morbum contagiosum patitur, ejusque nomi-

nomine contagiosum est: in hoc verò secundo subjectum, h. e. ipse fomes contagioso morbo minimè est affectum, sed *μιάσμα* duntaxat in se continet, per quod sanum hominis corpus contaminat. Etenim fomites præcedenti thesi recensiti contagioso morbo minimè sunt correpti, sed solum seminia & inquinamenta in se habent eorum corporum, quæ contagioso morbo reverà laborârunt. Ea ergò ex se fundunt, hominesque sanos illo vitio deturpant, quo detenti fuerunt, qui illud in fomites sparserunt.

Quomodo contagiosi morbi ad distans diffundantur?

CXIX. Per aërem hæc fit diffusio, & rursus per contactum mediatum. Nam infecti hominis corpus non contingit aëre corpus hominis sani: sed *μιάσμα* duntaxat aëri inspergit, quod postea sanum hominem attingit, eumque simili morbo corripit. Manifestum id est in peste, quæ una aliqua in civitate, unaque in domo, imò uno aliquo in conclavi plures invadit, sese mutuò tamen minimè contingentes, sed solum infectum aërem inspirantes, in quem qui prius erant infecti, inquinamenta sua immiserunt. Quo nomine hoc contagij genus ad distans nominatur, quoniam non contigua solum corpora, sed etiam longius ab affecto & contagioso corpore distantia invadit, inquinamento scilicet in aërem, quem alij per nares, os, & cæca cutis spiracula inspirant, immisso.

Potest hæc contagio etiam fieri ad loca distantissima, uti patet ex peste utraque, Anglicana & Aethiopica, aëre pestilenti *μιάσματι* infecto à ventis ad distantiores regiones deducto.

Quomodo hæc tria contagij genera inter se conveniant, & quomodo differant?

CXX. Conveniunt inter se I. quia omnia morbos contagiosos in aliis subjectis producere possunt. II. quia omnia per contactum aliquem operantur.

Differunt autem, quoniam primum genus non nisi per contactum immediatum, h. e. per corporum contiguitatem agit. Secundum per contactum mediatum, haeretque in aliquo alio corpore, tanquam in quodam domicilio, in eoque aliquandiu asservatur. Tertium operationes suas exercet etiam in locis distantioribus, corpore infecto ab agro, à quo infectum fuit, longius remoto: quoniam *μιάσματα* sunt per aërem disseminata, qui longè latèque evagatur.

An corpora ægra infici possint à corporib.
contagioso morbo conflictatis?

CXXI. Omnino. Experientia namque testatur, febricitantes, hydropicos, nephriticos, arthriticos, &c. peste infici posse. Nam si ea corripere possunt corpora sana, quae tamen validius resistunt morbificis causis, ob virium robur, cur non agra, quae isdem minus, ob virium infirmitatem, reluctantur? Presupponimus autem hic, ut & aliàs semper, corporum habitatem. ideoque causis contagionis presentibus, nil impedit, quò minus etiam agra corpora contagiosum aliquem morbum contrahant.

Quomodo singuli morbi contagiosi homines inficiant?

CXXII. PESTIS morbus est contagiosissimus, ideo ab illa sermonis faciemus initium.

Inficit autem homo peste correptus alios, & per contactum immediatum, & per fomitem, & ad distans.

Per contactum immediatum, cum immediatè alios vel in lecto, vel in balneo, humido, aut sicco, vel alibi nudos contingit, aut secundum totum, aut secundum partem. *Μιάσματα* enim in illos, quod varium est & multiplex, nimirum, vapor, spiritus, sordes cutis, sanguis, ichor, sive sanies, pus, semen, saliva, urina, excrementum alvi &c. conyicit.

Per fomitem, quando ab hominum quidem contiguitate est
alie-

alienus, hi verò vel illius lecto & lintheaminibus, vel indusiis, vel vestibus, vel vittis & pileis, vel culcitris & pulvinaribus, vel rebus aliis utuntur, priusquam μιάσματq̄ inhaerentia ab ijs sint separata sponte, vel arte.

Ad distans per aërem, cui μιάσματq̄ λοιμώδη à pestifero ore, naribus, spiraculis cutis sunt immissa.

FEBRIS MALIGNA, quae thesi 10. petechialis, pulicaris, lenticularis, & maculata appellata fuit, similiter & per contactum immediatum, & per fomitem, & ad distans alios contaminare solet: eodem planè modo, quo pestis: nisi quòd per ichoras, & pus virus in sanos non ejaculetur, cum bubonibus & carbunculis careat. Hi enim si adsint, pestis est, non febris maligna, propriè & in specie dicta.

PHTHISIS tribus itidem modis contagiosa est: sed non eam partes alias, quàm pulmones, propter mirabilem ἀναλογίαν, inquinat. Inquinat autem homines vel ἀμέσως osculatione, accubitu, inspiratione halitus in os inficiendi corporis: vel ἐμμέσως, per fomitem, in quo μιάσματq̄ pulmonum putrida delitescunt, qui genere est unus, specie varius & multiplex, ut liquet ex traditis: itemque per aërem ad distans. Unde Galenus lib. 1. de differ. febr. c. 2. dicebat, consuetudinem & cohabitationem eorum, qui tabe laborant, nequaquam tutam esse. Putridum enim eos expirare, adeò, ut conclavia, quae inhabitant, foetidum odorem exhaleant. Et experientia testatum fecit, eos, qui vel cum phthysicis in eodem lecto dormiverunt, vel diu iisdem in eodem conclavi cohabitârunt, vel cum illis biberunt & comederunt, vel eorum indusiis, stropholis, vestibus, lintheaminibus, culcitris, stragulis &c. usi sunt, inquinamentis phthysicalibus nondum expulsis, in φθίσει delapsos esse.

TINEA contagionem parit & ἀμέσως, per accubitus, vaporem, sudorem, ichorem, purem, crustam, squamulis & furfuribus suis: & ἐμμέσως per fomitem, si quis vel pileos, vel vittas tinea laborantium capiti suo imponat.

SCOR.

SCORBUTVS simili labe sanos affligit ἀμέσως, si quis scorbuticis oscula figat, nares, linguam & os eorum ori admoveat, vel inserat, & ἐμμέσως, si illorum poculis, & cochlearibus utatur. Putridas enim exesasque gingivas habent, ex quib. & contagiosi halitus, & inquinantes ichores humoresque alij emanant.

OPHTHALMIA quedam ad distans fœdare solet, cominus, attentè, & sæpè ophthalmia laborantes intuentes, Vapores enim ex illorum oculis exhalant, & intuentium oculis simile vitium imprimunt. Oculi namque, utpote membra tenella, frigida, humida & debilia, facillè leduntur.

CATARRHI, & præsertim GRAVEDINES illa ANHELOSÆ populariter grassantes, de quibus Fernelius partim lib. 1. πᾶθος. c. 7. partim lib. 2. de abdit. rer. caus. c. 11. verba facit, ἐμμέσως per fomitem contagionem dispositis facit corporibus, per μίγματα utensilibus, & potissimum illis, quibus ad potum & capiendum cibum utimur. Quæ causa est, quòd nemo facillè ex illorum poculis bibat, aut ex cochlearibus eorum jura hauriat, aut stropholis nasum emungat.

SCABIES quàm sit contagiosa, non in hominum solum, sed & in ovium, equorum, canum, aliorumque brutorum genere Lippis & tonsoribus notum est. Insicit autem dupliciter, per contactum immediatum, scabioso vapore, sudore, pure, aliave materia ex corpore scabioso emissa, & in corpus purum, quod illi in lecto, alibive contiguum, injecta. Deinde per contactum mediatum, & quidem per fomitem. Experimur enim, quod si quis scabiosorum vestes & indusia induat, aut stropholis mantilibusque eorum utatur, scabie fœdetur.

DYSENTERIA quedam contagionem inducit & per fomitem, & per aërem ad distans. Per fomitem, si quis ab ea labe immunis dysentericorum natitergiis utatur. Ad distans, quando sanus qui est, excrementa alvi depositurus illi sella insideat, super qua etiam dysentericus alvum exoneravit. Vapores enim malignos,

lignos, aëri immixtos, per anum excipit, & in idem malum postea præcipitatur.

LEPRA ARABVM, quæ Græcis est Elephantiasis, & per contactum immediatum, accubitum scil. & concubitum, quocumque tandem in loco is fiat, & per fomitem, *μιάσμα* elephantica in se continentem, & ad distans per aërem virulentiam suam mundis impertit corporibus. Unde & in veteri, & in novo Testamento sancitum est, ut leprosi ab hominum consortio removerentur, habitarentque in leproforijs extra urbium mœnia extructis. Quo nomine etiam relegati, *Außserig* vulgò nominari consueverunt.

CANINA RABIES illis obtingit, qui à cane rabido demorsi sunt. Hi rursus sanos oris halitu, saliva, & dentium mor-su in rabiem agere possunt.

IMPETIGO ea ratione invadit, & in alios propagatur, qua scabies.

LVES VENEREA perinde, ut quidam ex enumeratis affectibus, inficit: scil. immediatè, per concubitum & accubitum: & mediatè per fomitem aliquem, qui inquinamenta & semina istius luis in se habet: de cujus speciebus jam sæpè dictum.

An ad distans quoque, inquinamentis Venereis aëri inspersis, inficere homines valeat, ita ut si quis nec infectum, nec fomitem contagium, h. e. virus gallicum continentem, corpore suo contigerit, hac lue conspurcari queat, apud eruditos controversatur. Quidam negant, Veneream luem pestis in modum per aërem ad loca distantia ad alios transferri posse. Probant id experientia, quæ docet, neque Medicos, neque Cheirurgos, neque assistentes & egros tractantes, qui in eodem contubernio cum infectis quotidie versantur, inquinari. Verùm cum virus gallicum subtile sit & penetrativum, & halitu etiam inficere possit, quemadmodum ipsimet negativæ sententiæ defensores fatentur: scribat quoque Manardus & alij, quòd gallica ophthalmia in quibusdam, qui infectorum oculos propius & attentius inspexerunt, observata sit, arbitramur, Venereum morbum etiam ad distans per
F aërem

adrem homines affligere posse, in usque simile vitium procreare.

Certum aliàs est, eum frequentissimè omnium per contactum immediatum, maximè verò per impurum concubitus & coitum, nec non per contactum mediatum, aliquem scil. fomitem, in quo seminaria luis recondita sunt, contrahi. Si dicas, malum nonnunquam hereditarium esse, à parentibus per semen & sanguinem menstruum acquisitum, ideòque non semper contagiosum esse, respondemus, ita quidem se rem habere: sed tamen & istud esse verum, quòd in parentibus non sponte intimoque vitio, sed solo attactu fuerit excitatum. Quod enim quis ab ortu accepit, id olim ex parentum contagione processit.

Concipitur ergo vitium istud contactu frequentissimè: & quidem modis varijs.

Lactentibus enim id ab infectis nutricibus, per lac communicatur. Nutrices iterum ab impuris infantibus, quos lactant, hac lue inquinatis, per oris suctionem læduntur. Viri in coitu feminas inficiunt, & femina viros. Amatores amasias suas, & vicissim hæc illos per sputum & salivam, forsitan etiam per oris halitum in fœdam hanc impuritatem conijciunt. Commensales puri ab impurorum poculis, coehlearibus, & patinis offenduntur.

Alij sordibus, ichoribus, pure, excrementis alijs, è laborantium cute, ulceribus, tumoribus, atque abscessibus emanantibus, vel immediatè, cum ab illis conspurcantur, vel mediatè, quando lintaminibus, indusis, culcitris, vestibus, fomitibus alijs inhaerent, fœdantur.

Observandum autem est, quòd in quacunque parte contagium Venereum primùm insederit, ea contaminetur: hincque ab illa continuatione vitium in corpus omne spargatur, sensimque invalescat & propagetur. Etenim ex laesis functionibus liquidò apparet, hepar potissimùm laborare. Quocirca, si virulentia in id penetrarit, ipsumque viscus pravam induerit diòdesin, necesse est, ut sanguis generetur vitiosus, qui seminaria in se Gallica luis habeat: quæ cum natura sint ὄλη τῆ ἁγία inimica, ab ea ad ex-

serio.

veriores partes, tanquam ignobiliores, & ad ambitum corporis protruditur, indeque concoctio & nutritio in toto corpore leditur: unde macula varij coloris, pustula, tubercula, tumores, ulcera, capillorum defluvium, tophi præduri, qui gummatum nomine veniunt, dolores artuum, noctu maximè excruciantes, caries pudendorum, bubones inguinum, fæda malignaq; gonorrhœa, urithræ excoriatio, aliaque mala succrescunt. Illæ namque partes prima afficiuntur, in quas insertum est virus. Ideoque lues prima se profert in partibus obscœnis, si concubitu: in summa cute, si accubitu sit contracta: in nutricum mammis, si inquinatus sit lactens: in lactentis ore, labijs, & faucibus, si nutrix sit infecta: solentq; omnium primæ illæ partes corrodi & exulcerari, quæ sunt laxæ, raræ, molles atque tenellæ: ut sunt ossa nasi, fauces, genitalia, podex &c.

Admirationem verò omnem superat, quæ fiat, quòd cum & lepra, & lues ista gallica affectus sint valdè contagiosi, non tamen inficiantur illi, qui egros curant, ysdem cohabitant, vestes, indusia, linteamina, & vasa eorum cibaria lavant? Aère enim eodem perfruuntur, & fomites, in quib. *μιάσματα* gallica & leprosa latent, contrectant: quæ officia & servitia præstare agris famulos & ancillis, in leprosorio & demo nostra pustulosorum, uti vocant, omnes novimus. Estnè hîc ratio reddenda theologica, an physica? Theologica quidem, quia singulari DEI providentia & benignitate præservantur. Aliàs enim miseri egrotantes perirent, omni famulantium ope destituti. Physica verò gemina: una, quia non omnes inficiuntur, sed tantum illi, qui *ἐπιληψία* & *πεφύκωτα* quandam naturalem habent ad mala hæc suscipienda. Altera, quoniam fomites statim aqua, & sapone abluunt atq; abstergunt, & se ita præmuniunt, ut fomites non immediatè attingant, quemadmodum nobis aliquando sciscitantibus à curatricibus & ancillis relatum meminimus.

Possitné per ignem, aquam, terramve con-
tagiosus inveni morbus?

CXXIII. Sensus questionis est, an quemadmodum aër habitaculum esse potest *μιασματων*, & per illa contagiosum producere morbum, ita quoque ignis, aqua & terra illorum queant esse domicilia, ut inde contagio emergat? Respondetur, Ignem *μιασματων* non pati, sed illa consumere. Quo nomine tempore pestis & grassantium malignitatum ignes accendi solent quotidie. Fecit hoc ipsum etiam Acro Agrigentinus Medicus, qui quod Athenis pestilenti aëris constitutione ignem apud agros praescripsisset, eoque pestem fugasset, vehementer inclaruit, authore Plutarcho in Iside circa finem. Fecit idem quoque Hippocrates Cous, qui quod Graciam à truculentissima peste, ex Barbaria in illam derivata, tum remediis aliis, tum vel imprimis etiam accensis ignibus servasset, ex decreto Atheniensium, sicut in epistolis Hippocratis legere licet, magnis mysteriis fuit initiatus, ut Hercules, Jovis filius: corona mille aureorum donatus: corona ipsa Quinquatriis magnis Minerva festis, in certamine gymnico per praconem proclamata: denique hoc beneficio gratitudinis ergo ob bene merita ornatus, ut omnibus Coorum liberis Athenis, non secus ac Atheniensium liberis, pubescere licuerit: ipse vero Hippocrates in Prytaneo toto vita sua curriculo victum habuerit paratum. Erat autem *πρωταρχων* apud Athenienses ampla ac magnifica domus, in qua *επιπρωταρχων*, vescebantur ij, qui de Republ. bene meriti essent, aut quos civitas honore afficere vellet: dictum ab illis, qui *πρωταρχαι*, Rectores, Praetores, Praefecti, Governatores & Administratores Reipubl. vocabantur, quorum quinquaginta erant.

Aquam quod attinet, potest & illa sedes esse *μιασματων*, & contagiosas proferre agritudines. Est enim is omnibus injuriis, caelestium & elementarium causarum ratione, quibus aër, obnoxia. Unde mirabiles quarundam aquarum effectus apud Aristot. l. πρὸ θαυμασ, ἀκροματ. & l. 2, meteor. c. 3. Plinium l. 2. c. 103.

& l.

& l. 25. c. 3. Vitruvium l. 8. c. 5. Isidor. l. 13. orig. c. 13. & Georg.
Agricol. l. 3. de nat. eorum, quæ ex terra effluunt, legimus.

Idem fieri debet iudicium de Terra, quæ sæpè intra viscera
& cavernas suas tetros malignosque halitus fovet, qui si cum
aëre, vel aqua commisceantur, non rarò contagiones inferre solent.
Probant hoc metallifodinae, in quib. arsenicales, mercuriales, anti-
moniales, halitus venenati aliij continentur. Testatum quoque
faciunt terra motus, quos pestem insecutam non rarò fuisse,
Historicorum monumenta docent: nimirum propter vapores ma-
lignos ac venenatos, qui diu visceribus terræ erant inclusi, tan-
dem verò erumpebant, aëremque venenositate sua reddebant
exitiosum ac pestilentem.

Quænam corpora magis sint contagiosa,
mortuane, an adhuc viventia?

CXXIV. Diversa diversorum Authorum hac de re sunt
iudicia.

Quidam enim dicere minimè verentur, corpora defuncto-
rum, quæ peste infecta erant, nullatenus esse contagiosa: quòd non
amplius expirent, nullumque amplius virus ejaculentur: & quòd
venenum omne in animali extincto pereat.

Nonnulli autumant, ejusmodi cadavera non esse quidem
omnis venenositatis expertia, viventia tamen longè contagiosio-
ra esse: nitunturque hoc fundamento, quòd in contagione aliqua
sit corporum ἀνάλογια, & quòd halitus, qui è corpore vivente,
sed infecto, emanant, majorem habeant cum spiritibus corporum,
quæ inficiuntur, affinitatem, quàm cum vaporib. è cadaveribus
expirantibus. Item, quòd cadavera frigeant, ac proin pori eorum
sint occlusi, ut venenum exhalare, & cohabitantes ferire ne-
queat.

Aliqui distinguunt inter convalituros & desperatos. Ex
illis præberi nobis indicium dicunt roboris naturæ, quæ ita vene-
ni pestilentialis vires frangat, ut cohabitantes minimè ledant.

Ex his conijci, venenum pestilens victoriam obtinuisse. Quare, cum suo in vigore permanserit, ajunt, cadavera illorum magis esse contagiosa.

NOS illorum suffragamur placito, qui statuunt, cadavera peste & alia contagione infecta, v.g. Venerea, aut leprosa, contagiosiora esse: & argumentis sequentibus movemur.

I. Quia extra dubium est, in defunctis extinctum esse *Salvita*, quod putredinem arcebat in viventibus, ipsum scilicet calorem vitalem. Proin necessum est, ut putredo, ejusque soboles, fætor, subsequatur. At utrumque vitales spiritus, ipsumque *vita* principium, *COR*, vehementer affligit, & debilitat, facitque, ut *COR* crudelissimo hosti, virulentia pestilentiali, minus resistere queat, hocque nomine citius ac facilius inficiatur.

II. Quia venenum in vivo corpore à calore nativo redditur hebetius: in extincto vero efferatur, cum non sit, quod illi reluctetur.

III. Quia duæ alicujus effectus cause fortiùs operantur, quàm una. At in cadaveribus infectorum duæ sunt cause, cor debilitantes, & facientes, ut id promptius contagione corripatur, *ψίασμα* virulentum, & putredo fætida, quæ illud exasperat.

IV. Quia Medici & sanitatis provisores præcipiunt, ut cadavera inquinata, pestis præsertim tempore, prima quaque occasione terra mandentur, & sepulchra parentur admodum profunda, quò nil facile exhalare, aëremque inficere possit.

Ad argumenta verò allata responderi potest levi negotio.

Cadavera enim, licet non amplius respirent, & consequenter neque expirent, halitus tamen per spiramenta reliqui corporis egrediuntur: quod ex eo liquet, quia fætorem illum cadaverosum, quem multi cum animi deliquio persentiscunt, excitant.

Venenum in demortuis perire, falsissimum est. Manere enim *ψίασμα* venenosa in cadaveribus, exinde liquet. I. quia corpora disposita inficiunt. II. quia Thucydides scribit, quadrupes

drupedes in horrenda illa peste, cuius thes. 58. mentio facta, cada-
vera hominum insepulta, quorum in & extra urbem Athenien-
sem infinitus erat numerus, vel non adyisse, vel si qua ea attigif-
sent, & degustassent, expirasse. III. quia memoria proditum,
porcos à lupis, canibusve rabiosis demorsos, postea verò à scelestis
hospitiis mastatos, & convivis ad comedendum appositos, in ra-
biem eos egisse: idemque evenisse vulpibus, qua sues rabidas, mi-
nùs altè in terram defossas, ex terra eruerunt, & similem inde
furorem contraxerunt.

Quam affinitatem halituum è corpore peste infectorum e-
mergentium cum spiritibus viventium corporum, qua infecta
sunt, quidam comminiscuntur, non agnoscimus. Illi enim ὄλη τῆ
ἀσπῆς hisce sunt inimici. Hi verò nobis sunt amici, familiares,
& anima organa. Poros autem cadaverum non ita occlusos
esse, ut nil exhalare queat, fætor eorum intolerabilis satis osten-
dit.

Distinctio inter convalescentes & desperatos nihil firmitatis
habet. Experientia namque docuit, & quosdam in ysdem adib.
in quib. acri convalescerunt, peste fuisse peremptos: & nonnullos
etiam servatos, pestiferis è medio sublatis. Non enim eadem
omnium est natura, sed ut Hippocrates loquitur, corpus à corpo-
re, & temperatura à temperatura differt. Ideoque quod virus
huic est exitiosum, id alteri vite interitum non necessario
parit: & vice versa, quod isti est innoxium,
illi mortem adfert.



PRAE-



PRAESTANTISSIMO
Domino Respondenti salutem & prosperi-
tatem precatur perpetuam

PRÆSES.

Versiculos à me petijsti, docte GEORGI,
Non igitur potui metra negare tibi.
Sed quidnam quæso cupis, ut mea languida Musa
Subjungat thesibus, dulcis amice, tuis?
Visné tuas ego jam decantem carmine laudes?
Visné tuas celebrem condecoremque theses?
Non puto te tumidas à me contendere laudes:
Nec puto te celebres reddere velle theses.
Illud enim sordet plerisque: nec est opus isto,
Cùm se materies sat celebrare queat.
Ergo tuum solùm conatum laudo, rogoque,
Ut quo coepisti, sic pede semper eas.
Sic etenim laudem paries tibi, crede, perennem:
Præmia sic capies digna labore tuo:
Gaudia sic Patri, generique parabis avito,
Cùm rursus patrij videris arva soli.




Cf 133

(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.





4

DISPUTATIO
DE
MORBIS CON-
TAGIOSIS
ET
CONTAGIO:

*Publici exercitij gratia in alma Argentora-
tensium Universitate proposita*

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE AC PRO-
FESSORE, COMITE PALATINO
CÆSAREO, ET REIPUBL.
ARCHIATRO:

Respondente

GEORGIO HILMARO CRATZMANN,
LUNÆBURGICO.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.
M. DC. L.

